

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1809

Auteur(s) : Robert Marmion [particulier]

Bénéficiaire(s) : Barbery, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1181, octobre

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert Marmion, menant à terme le projet de son père, donne aux moines de Notre-Dame de Barbery une terre pour y construire leur abbaye. Il dote cette abbaye et confirme les donations précédentes.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Bajocensis, n° XX, col. 85-86.
- b. Saige Gustave, *Cartulaire de la seigneurie de Fontenay le Marmion*, Monaco, Imprimerie de Monaco, 1895, n° XXXIV, p. 42-43 (transcription partielle).

Texte établi d'après a

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen. Robertus Marmion omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, in Domino salutem. Noverit universa generatio præsens et futura Robertum Marmion patrem meum divini inspiratione consilii abbatiam Barberii fundare proposuisse : unde omnes terras quas habebat in Barberio, excepto militum suorum feodo, abbatia faciens, quasi primum per hæc omnia jecit fundamentum, possessiones commodas his adjecturus, si eum diutius miseratio divina vivere permisisset. Quia vero propositum suum implere non potuit, ego filius ejus et heres ab eo inchoatum opus ad consummationis decus perducere decrevi. Ego itaque pro salute animæ meæ, et salute patris et matris meæ, et uxoris meæ, ac liberorum meorum et omnium antecessorum ac successorum meorum, do in eleemosynam perpetuam, liberam et quietam, et ab omni servitio absolutam, Deo et beatæ Mariæ, et abbati et conventui monachorum abbatia Barberii, terras omnes quas pater meus Deo dederat in Barberio. Dono etiam ad ædificandum abbatiam terram quæ continetur inter parvum boscum, et Barberium et haiam, quæ terra est in parochia Brethevilla, scilicet terram Johannis de Fontaneto, pro qua sororem ejus sanctimoniam constitui apud Polesorde, cujus terræ partem tenebat Radulphus Hericé, et terram Roberti de Aneriis, pro qua dedi ei unum bordagium in Brethevilla, quod tenebat Radulphus Savieres, et terram Guillelmi Tosar, pro qua dedi ei quinquaginta solidos Andegavensium. Confirmo etiam donationem quam fecit Robertus Lotrel et Hugo filius ejus eidem abbatia, et donationem campi qui est proximus abbatia, quem dedit Nicolaus de Vevis et Sibilla uxor ejus, concedentibus filiis eorumdem Roberto et Jordano, quem tenebant Gervasius Botchorle et fratres eorum. Confirmo etiam scambionem quam fecerunt monachi Ranulpho filio Aidulphi et fratribus ejus. Dono præterea ecclesiam Barberii ex integro, excepto feodo abbatia de Fontaneto et abbatia sanctimonialium de Cadomo. Dono etiam ecclesiam de Brethevilla cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam de Quilleio cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam de Saintellis cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam de Ketevilla cum omnibus pertinentiis suis, et tres partes ecclesiæ sancti Germani de Chimino et sancti Hermetis de Fontaneto, quarum unam tenebat Radulphus de Govis ex me in eleemosynam, aliam tenebat Unfridus

Poltier, quam ipse ut feodum tenebat, et ipse et filii ejus Radlphus et Hugo, et ceteri heredes ejus, concesserunt eam Deo et beatæ Mariæ, et monachis Barberii, et ipse Unfridus eam per librum posuit super altare ejusdem monasterii ; aliam tenebat Matthæus de S. Germano, pro qua dedi ei viginti acras terræ de dominio meo, et pro jure quod habebat prædictus Matthæus in ecclesiis de Quilleio et de Brethevilla. Dono etiam peæsentationem prædictarum ecclesiarum quæ ad jus meum pertinet. Dono præterea stagnum cum molendino, quod est inter Barberium et Brethevillam. Dono etiam in Tuepot terram cum nemore quam emi de Guillelmo de Villers quindecim libris Andegavensium. Donationem etiam Guillelmi de Villers in Tuepot in terris, et in nemore et in pratis, ratam habeo et confirmo. Confirmo etiam donationem quam fecit Guillelmus de Cingal in veteri Meyleria et in nova Meyleria, et in campo de Luceto, concedente filio suo Guillelmo et Johanne de Liveto domino suo. Dono etiam de dominio meo apud Mesons, quadraginta et octo acras terræ dimidia virgata minus. Dono etiam feodum Durandi Chevestre ex integro, et tenementum Radulphii filii Avicgne, et in feodo Roberti Prime unam minam frumenti pro duobus modiis frumenti quos donabam monachis singulis annis in molendino meo apud Mesons et in excambione de Jorchis, quas donaveram prius monachis. Concedo etiam donationem quam fecit Robertus de Moë in Barberio, scilicet terram quæ est inter stagnum monachorum et mansuram. Æleziæ reginæ, quantum ad jus meum pertinet. Confirmo etiam donationem quam fecit Dionysius de Tur apud Mesons, scilicet mansuræ quam tenet Hugo frater ejus de abbate et conventu Barberii. Confirmo etiam donationem quam fecit Gervasius de Barberio, concedente domino suo Guillelmo Marmion de Urvilla. Si quis autem de terris quibuscumque ad feodum meum pertinentibus præfatæ abbatiæ terras sive redditus aliquos dedit aut dabit, ratam habeo illam donationem et permanere concedo, ita tamen ut qui dabit tantum det et tantum sibi retineat, ut et servitium quod debeo persolvere possit, et beneficium religiosis collatum liberum et ab omni servitio permaneat absolutum. Concedo etiam libertatem et quietantiam in omnibus omnino rebus monachis et conversis ejusdem abbatiæ in tota terra mea Normanniæ et Angliæ. Hæc autem omnia libera et quieta, et ab omni servitio et exactione penitus absoluta, dono, concedo et confirmo præfatæ abbatiæ Barberii in eleemosynam perpetuam, nihil in omnibus servitii et obsequii vel debiti cujuscumque reservans vel retinens. Hanc recompensationem solam et unicam retributionem mihi et heredibus deprecans, ut prædictæ abbatiæ fratres, tam ego quam ipsi, patronos apud Dominum habeamus et intercessores. Prætaxatas donationes omnes concesserunt Robertus filius meus, et uxor mea, et filiæ meæ, et milites, et homines mei, nulla omnino interveniente reclamatione. Præterea constituo, propono et confirmo quod in præfatæ abbatiæ cimiterio ego et uxor mea, et heredes mei sepulturas habebimus. Ut autem prædicta omnia rata maneant in perpetuum et inconcussa, pagina præsentis ipsa voluimus annotari, et sigillo nostro muniri. Actum hoc anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXI, mense Octobri, testibus his, domino Henrico Bajocensi episcopo, Radulpho de Goviz, Roberto clerico Waleranni archidiacono, Willelmo presbytero de Fontaneto et Hugone nepote ejus, Josleno monacho, Alexandro monacho, Henrico clerico, Unfrido de Bohum, Richardo Bigot, Roberto de Moë, Unfrido Poltier, Willelmo Marmion, Johanne de Liveto, Godefrido Aguillon, Simone clerico. Thoma priore, Guillelmo de Bripto, Guillelmo de Dovro, Guillelmo Locare, Renaldo de Cunay, Gilleberto de Liveto, et multis aliis.